

Q. F. F. S.

EXERCITIUM ACADEMICUM

De

**HARMONIA  
INTER PUBLICAM  
ET PRIVATAM SALUTEM**

in civitate,

Quod

*Consent. Amplif. Facult. Philos. Acad. Aboensis,*

Sub PRÆSIDIO

**HENRICI HASSEL,**

Eloq. Prof. Reg. & Ordin.

die 18. Aprilis Anni 1739.

*Publico examini submittit.*

**HENRICUS BERGLING**

*Ostro-Gosbus,*

Loco horisqve consvetis

ABOÆ, Excud. Joh. Kiempe, Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ M:tis  
Magnæ Fidei VIRO,  
Diececesos Aboensis EPISCOPO

Et

Regiæ Acad. PROCANCELLARIO eminentissimo,  
*Reverendissimo Patri ac Domino,*

DOCT. JONÆ  
FAHLENIO,  
MÆCENATI MAXIMO,

**P**REter curam illam sacram, quam de Ecclesia DEI & publice applausu agitis, Reverendissimi Patres, Vos juxta ac privata civium felicitas promoveatur. plurima & lucertius confido, Vos haut indigne laturos, quod specimen quæpresens de vinculo inter publicum & privatum commodum Vobis, tacite diu veneratus sum humillimus offerre audeam. Accipiat is boece juvenile, eo, quo alia soletis vultu, hoc est, sereno,

S:æ R:æ M:tis  
Magnaæ Fidei VIRO,  
Et

Diceceſeos Borgoenſis EPISCOPO  
graviffimo,

*Reverendiſſimo Patri ac Domino,*

DOCT. DANIELI  
JUSLENIO,  
MÆCENATI MAXIMO.]

*ſalute animarum eternâ, maxima cum laude & totius Rei-  
ſimul ſerio & cunctis viribus in id incumbere, ut publica  
culenta ſatis teſtimonia docent. Hoc dum conſidero, certo  
lecunque profectuum meorum in ſtudiis editurus argumentum  
Mæcenates maximi, ad publice teſtandû pietatem, qua Vos  
igitur, Fulcra eccleſiæ noſtræ ſplendidiffima, tenſamen  
noſtramque fortunam tenuem & collapsas ſpes faventiſſimo eri-  
gatis*

gatis, quin & salutis mee portus & ara sitis, de-  
votissimus oro Quod meum est, nunquam intermittam,  
summum omnis boni fontem & originem Deum ex to-  
to pectore sollicitare, velit Vos quam diutissime in Ec-  
clesiæ ac Reipublice emolumentum conservare, omniaque a Vobis  
mala & omnia pericula ac adversa avertere. Sit Vobis, Epi-  
scopi Reverendissimi, felicitas perpetua, sit salus & pro-  
speritas perennis, sit celestis tandem parata beatitudo. Quod  
sincere vovebo.

## REVERENDISSIMORUM PATRUM

Devotissimus clericus  
H. BERGLING.

*VIRO Summe Reverendo & Amplissimo Domino,*

**Doct. ANDREÆ BERGIO,**

Ad Reg. hanc. Acad. S. Theologiæ PROFESSORI  
Primario, & Dioces. Aboens. ARCHIPRÆPOSITO  
maxime inclyto.

**MÆCENATI MAGNO.**

*Maxime Reverendo & Amplissimo*

**Dno ISAACO BISKAMPUNO /**

Ad Reg. Acad. hancce S. Theologiæ PROFESSORI  
longe dignissimo,

**PATRONO MAGNO.**

*Maxime Reverendo & Celebrissimo*

**D. Mag. JOHANNI WALLENIO,**

Ad Reg. Acad. Aboens. S. Theologiæ PROFESSO-  
RI longe meritissimo,

**PATRONO PROPENSISSIMO.**

**I**gnoscite. Macenates. Et. Patroni. Magui. Quod. Vos  
Gravissimi. Numeris Occupationibus. Distinctos. Inter-  
pellare. Audeam. Concede. Summe. Reverende. Domine. Do-  
ctor. Qui Nuper. In. Comitili. Confessu. De. Publica. Toti-  
us. Regni. Et. Privata. Singulorum. Civium. Salute. Pro-  
mover-

*movenda, Sollicitus. Fuisti. Concedite, Viri De. Ecclesia. Dei.  
Optime. Meriti. Qui. In. Publicum. Usum. Juventutem.  
Academicam, Instituitis. Atque. Innocua. Pia. Et. Inoffensa.  
Vita. Ei. Præluceatis, Concedite. Inquam. Ut, Carta, Hac, Qua.  
Nexum, Utilitatis. Publica. Et. Privata. Delincare. Adgres-  
sus. Sum, In Aliquo, Domus Vestra. Angulo. Delitescat. Me-  
que, Durioribus, Fatis, Adflictum. In. Vestram. Tutelam. Su-  
scipite. Servet. Vos. Deus. Salvos. Et. Incolumes. In. An-  
nos. Multos. Et. Salutis. Aeternæ. Tandem.  
Particips. Reddat!*

**Sum. Rev. Max. Rev. & Amplissim. Nominum  
Vestrorum.**

*Cultor humilissimus*  
**H. BERGLING;**

*Nobilissimo Consultissimoque*

Dno ANDREÆ LANÆO,

Per territoria Raseborgensia Nylandiæ Iudici territoriali æqvissimo, Patrono ob beneficia plurima maxime suspiciendo.

*Admodum Reverendo & Præclarissimo*

Dno GABRIELI KËPPLERO,

Ecclesiæ, quæ Deo in Pojo & Etuås colligitur, Pastori meritissimo, atque vicini districtus Præposito dignissimo, Promotori & benefactori ad cineres usque devenerando.

*Admodum Reverendo & Præclarissimo Domino,*

Mag. SAMUELI FRÖLING,

In Motala & Wimmerstad Pastori & circumjacentis districtus Præposito accuratissimo, ut antea Præceptori fidelissimo, ita jam Evergetæ & Promotori indulgentissimo.

**A**ccipite Patroni, Promotores & Benefactores optimi, meditationes has qualescunque philosophicas in signum animi gratissimi ob multa, eaque mere paterna in me cumulatâ beneficia, meque ut hactenus, ita in posterum Vestra benevolentia & favore perpetuo complectimini, qui pro Vestra felicitate & salute nunquam intermittam vota & suspiria fundere calidissima.

Nobiliss. Adm. Rev. & Præclariss. Nominum  
Vestrorum.

*Humilissimus & observantissimus cultor*

H. BERGLING.

JOH. AND. INGELOTZ.

Candido suo Amico

Dno HENRICO BERGLING,

S. D. P.


**C**um ad aures meas pervenerit, Te Amice Integerrime, Harmoniam vel nexum salutis publicæ & privatæ in Republica, e rostris, Academicis brevi probaturum fore, non possum, quin Tibi, ob sinceram per quinquennium, & quod superest, inter nos cultam multisque integritatis documentis corroboratam amicitiam, præclaros Tuos ausus gratuler. Voluit quidem fortuna, ut publico Musarum cultui nonnullos ante annos valedicerem; amor vero sororum nihilominus apud me sarsus tectusq; manet. Creditur enim mihi ante alios præstantissimo dignus honore, qui indefessus litteris bonisque artibus ita incumbit, ut his bene instructus Reipublica sit emolumento. Gratulor itaque Tibi, in castris Musarum tam strenue militanti fructum studiorum Tuorum viridem & valde dulcem, qui non cæso fortuna favore, sed provida Tua sedulitate Tibi contigit. Gratulor quoque mihi, de Amico ut morum innocentia insigni, ita ingenii perspicacia felici. Voveo, ut omnia honestissima Tua conata etiam faustum ac prosperum posthac nanciscantur eventum, atque in optatum Reipublicæ emolumentum Tuorumque ingens solatium cedint. Vale.

Pereximie atque Præstantissime Dne Respondens  
Amice æstumatissime.

**I**dem in Patriam, pietatem & Religionem, & communis boni incrementum Tibi cura cordique esse, præsens Tuum specimen Academicum de Harmonia salutis publicæ & privatæ, satis argumento est; quod quamprimum Te amicissime Dne Respondens editurum cognovi, per amicitiam inde à longo retro tempore sincere inter nos cultam, mihi temperare non potui, quin Tibi publice gratularer, Tuum tam nobile laudare propositum, & Civis boni, cuius Te animam fovere ostendis, premium Tibi sincero pectore adprecarer.

L. J. Schultz.





§. I.

**D**Eum, quum ab initio hominem orbis  
hujus incolam nobilissimum produceret,  
serio intendisse, ut cum posteris suis  
vitam ageret non miseram, calamitosam & æ-  
rumnis plenam, sed tranquillam, felicem, i-  
mo beatam, sanæ utiqve rationi plane pervi-  
um est. Hæc enim vires suas excutiens, facile  
animadvertit, Creatorem universi, ut ipse sapi-  
entissimus est, optimus & perfectissimus, non  
posse non ea velle, quæ optima & perfectissi-  
ma sunt, pro suo nempe fine & modo. Jam ve-  
ro cum perfectio salutem & felicitatem in se  
comprehendat, probe utiqve intelligit ratio,  
supremum Numen hanc creaturis præstantissi-  
mis non potuisse denegare. Profecto si ea, quæ  
terraqueus noster globus ( ne ulterius adscenda-  
mus)

mus) exhibet, considerare velimus, talia sunt, ut tantum non singula suo modo hominis felicitatem promovere possint. Facultates etiam prorsus egregias homini summus ille Creator addidit, quarum cultu jam quoque ad insignem felicitatis gradum pervenire potest, quas tamen multo præstantiores primitus fuisse, ratio quidem videt, quamvis quomodo depravata fuerint, nisi revelatione adjuncta, detegere haud valeat.

§. II.

**P**ROBAT Creatoris hunc finem satis superque instinctus ille naturalis, qui omnibus mortalibus connatus deprehenditur, vi cujus suam conservationem omni opera singuli promovere student. Ea enim voluntatis humanæ indoles est & conditio, ut bonum semper appetat, malum vero aversetur & fugiat, cupiat salutem & commodum suum, detestetur perniciem & damnum; unde apud Philosophos *boniformis* audit voluntas. Adeo hoc verum est, ut, etsi eligat interdum ea, quæ perniciose revera sunt, hoc tamen non sub ea specie faciat, quasi noxia essent, sed ideo quod aliquo modo, saltem eo tempore, quo  
 eli-

eliguntur, ad felicitatem hominis facere videntur.

§. III.

**Q**uod quamvis ita sit, felicitatem tamen nostram in multis deficere, experientia quotidiana convicti, fateri prohi dolor! cogimur omnes. Cujus causa & origo, nullatenus apud Deum querenda est, sed penes homines residet tota: qui per suam culpam in eam miseriam, ignorantiam & stultitiam lapsi sunt, ut, ea sapissime, quæ in eorum salutem creata fuerant, in suum convertant exitium; qui imaginariam, falsam & noxiam felicitatem veræ præponunt, adparens bonum, pro vero & genuino eligunt atque sectantur, & mutuam denique felicitatem atque salutem invicem turbant & plane interdum destruunt. Et hoc ipsum mortales sine dubio ad coeundum in societates primum impulit. Postquam enim societates minores, domesticæ nimirum & heriles, salutem promovende admodum insufficientes esse cognoverunt, majores, quas civitates vocamus, instituire necessarium duxerunt, ut junctis viribus ab insultibus

4  
bus aliorum ac mutuis injuriis sese defenderent,  
& communi consilio ac opera felicitati quæren-  
dæ & conservandæ incumbèrent.

§. IV.

**F**inis igitur conditarum civitatum est publica  
salus omnium & privata singulorum; qua-  
re in administratione Reipublicæ semper & ubi-  
que utraqve hæc combinari debet, adeoque  
in omnibus consiliis, actionibus & institutis ad  
hæc duo respicere oportet tam Principem,  
quam singulos cives; alioquin scopus iste,  
quem intenderunt homines dum primum in  
societates coirent, nunquam obtinebitur. U-  
tra enim, sive publica sive privata civi-  
um tollitur salus, alterius interitum necessario  
secum trahit. Habet namq; se omnis Respubli-  
ca perinde ac corpus humanum. Quemadmo-  
dum enim, ut exemplo Menenii Agrippæ uti-  
mur, si stomachus, qui in usum totius cor-  
poris cibum digerit, membris alimentum suum  
denegaret, tum membra quidem brevi lan-  
guescerent & enervarentur singula, & simul  
stomacho interitus quoque pareretur. Et mem-  
bra iterum si laborate cessarent, & stomacho  
ci-

cibum necessarium parare negligenter, tum conficeretur stomachus, ac membris simul exitium & perniciēs adesset. Sic in civitate si deficiat publicum, tum civium felicitas & securitas in discrimen & periculum adducitur maximum, & si intellēs, exhausti & infirmi sint cives, tum debili fundamento superstructum est publicum, & præsenissima procul dubio vicinum ruinæ.

§. V.

**A**Tque ut de publica salute primum agamus, ita illa quærenda est, ne detrimentum privata civium felicitas capiat. Præcipue Princeps, cui publici curam agere imprimis convenit, ita se gerat, ut intelligant cives sub specie publicæ salutis illum non proprium, tantum commodum ire promotum, suamque solum potentiam & nominis famam augere velle. Non debet igitur aliud fastigium majestatis & gloriæ concupiscere, quam quod civium salus & status Reipublicæ permittit. Ad hanc regulam potestatem suam exserat, leges ferat, jus dicat, pœnas exigat, tributa imponat civibus, & jura quælibet majestatica exerceat. Paucis: Domi & foris, pace & bello, semper &

& ubique ex lance salutis & felicitatis civium, omnia suspendat & metiatur, probe considerans nihil sibi privatim expedire, quod non idem publice expediat, & Principem propter populum, non populum propter principem esse.

§. VI.

**C**ontra hoc peccant Princeps & civitatum Rectores suis cupiditatibus bonum publicum posthabentes. Hi se metui malunt, quam amari, ac omnia consilia, destinata & actiones ad se ipsos tamquam ad centrum referunt; existimant quippe potestatem suam tum demum in tuto positam esse, si subiectis tremor sint & terror, atque despoticum quoddam imperium exercent in eorum vitam & opes. Sed cum habeat quivis homo justam libertatem inter præcipua bona, securitatemque vitæ & facultatum cæteris præferat, quis non videt severitate nimia & rigore intempestivo isto potestatem Principis non promoveri, sed labefactari & in ultimum discrimen vocari? Sublato enim civium amore quid, quæso, restat firmi & solidi, quo Princeps fulciatur? Detestatur servitutem istam  
quis

quavis probus, a jugo intolerabili liberari cupit quavis subiectus, Hinc in eiusmodi imperiis gemitus primum & querelas tacitas exaudire licet, mox publicas exclamationes, quæ sæpe in seditiones, immo, bella nonnunquam civilia erumpunt, quibus Princeps in extremum adducitur periculum, & ipsius quandoque imperii patitur jacturam; atque civitas insuper tota vix reparabile capit damnum. Tristis ejusmodi effectus felicitatis præpostere quæsitæ, fractique nexus inter caput & membra, inter publicam & privatam salutem, omnis temporis experientia satis superque probatur.

§. VII.

**N**ON desunt qui arbitrentur publicam salutem exercitu numeroſo, præliis & triumphis crebris atq; multarum regionum occupatione potissimum promoveri, adeoq; longa & diutina gerunt bella, terras quascunqve, easq; sæpissime remotissimas sub suam redigunt potestatem, quid patiantur cives parum curantes. Sed cum privatæ civium saluti exitium & interitum sæpe minentur eiusmodi bella, neque ista ratio felicitati publicæ ad justum fastigium evehendæ ubiq;

biqve sat congrua & idonea est. Fac Principem varias suæ ditioni subdicere posse regiones, fac illum gloriam belli sibi parere maximam, fac illum victorem & heroem invictissimum citari, quid inde in Rempublicam redundat commodi, exhaustis civium facultatibus & juventute in ipso ætatis flore ita extincta, ut peregrinas istas & sub alio cælo sitas terras defendere & retinere non valeat? Observant jure meritoqve Politici perspicaciores floruisse imperia multa, quamdiu intra justos limitata fuerint terminos, adeo ut singulas provincias defendere, & imperii corpus continere civibus nimis onerosum non fuerit; sed simulac nimium affectare cœpissent eorum Rectores, & regiones remotissimas occupare, ad quas solas tuendum majori opus fuit exercitu, quam ad totum olim regnum, dum antiquos intra fines coarctatum erat, muniendum, imbecillima facta fuisse regna ista, & mole tandem sua corruisse. Et quis non videt, numerum & multitudinem Provinciarum solam, civitatem florentem haut reddere, sed requiri, insuper copiam & opulentiam civium, quin & posse Respu-



publicas arctiora soli spatia possidentes florere, modo sub imperio isto cives opibus valeant, cuius exemplum præbent Veneti & Belgæ, & e contrario vasta imperia nutare, ubi egeni & exhausti reperiuntur subjecti.

§. VIII.

**H**Æc autem, quæ diximus, non eo extendenda sunt, quasi bellum semper & ubiq; illicitum civitatique noxium & perniciosum esse existimarem, quin potius contendimus dari posse casum, ubi magis ex salute reipublicæ est motus aliquis belli justus & honestus, quam otium nimis longum & diutinum. Sæpe enim fit, ut alma durante per multos annos pace, luxui sese dent cives variaque contrahant vitia, bella excitent civilia, atq; in propria demum viscera sævire incipiant. Adeat, cui volupe fuerit, monumenta historica, & videbit multas civitates, dum per longum temporis spatium externa bella evitarunt, pacisque dulcissimos fructus carpere sibi visæ sunt, inopinato hostem domi invenisse, variisque exortis tumultibus intestinis, magis debilitatas fuisse, quam procellis con-

tra peregrinos habitis. In hoc igitur puncto bellum paci præferendum existimamus, si modo adsint justæ bellandi causæ, ne quiete nimia torpescat civitas, virtusque civium in enormia degeneret vitia.

§. IX.

**P**ropter varios usus necessarios esse certos redditus, qui a civibus exigantur & in ærarium publicum colligantur, nemo facile negat. Interim tamen ne quid nimis probe cavere debet civitatis Gubernator. Si enim pecuniam hanc, vel monopolis certis, vel alia quacunqve arte, ultra necessitatem multiplicare allaboret, felicemque Rempublicam tum potissimum censeat, cum omnis illius quasi nervus & singulorum civium præcipua facultas in ærario delitescit, insigniter errat, nexumque inter publicam & privatam salutem parum perspicit. Fac ejusmodi Principem ingens corradere æs, quid inde Reipublicæ emolumentum, dum cives inopes sunt & egeni? Brevi exhauritur & penitus quasi evanescit thesaurus iste, tempestate aliqua exorta in Republica. Quid verum  
tum

tum capiendum consilii? Facultates quippe civium attritae sunt, quod in usum publicum conferant, superest vel parum vel nihil. Unde consequitur ex usu civitatis esse, ut praecipue opes penes cives sint, qui illas ipsas per commercia, manufacturas &c. augere possunt, earumque adminiculo liberos in commodum Reipublicae juxta educare, & sic porro. Paucis: Civium opulentia optimum & tutissimum erit Principis ararium, ex quo quantum opus fuerit semper & ubique depromere possit.

#### §. X.

**P**ergimus ad privatam utilitatem considerandam, quam sine publica consistere haud posse facile demonstratur. Pone enim dari civitatem, ubi opulenti quidem sunt cives, terra felix & fertilis, rerumque omnium abundantia viget; sed rixis, contentioneibus & discordia plena simul omnia, ubi civium quisque proprium commodum tantum quaerit, qui de publica salute sollicitus est reperitur nemo: anne ejusmodi Respublica debili admodum superstructa est fundamento? Quis non videt socie-

tatem istam haud diu consistere posse, sed praesentissimae vicinam esse ruinae, nisi remedium efficacius & opportunum quantocius adhibeatur?

§. XI.

**I**ta igitur civis quisque suam utilitatem & salutem promotum eat, ut simul semper altero quasi oculo publicam respiciat. Contra quod peccant omnes, qui cum damno & detrimento boni atque aeterni publici maximo distulere cupiunt, qui fraude, astutia & aliis quibuscunque obliquis modis & artibus in proprium usum convertere non erubescunt, quae publicum commodum promoverent, & ad salutem, praesidium & emolumentum totius civitatis facerent. Non perspiciunt avari ejusmodi publici expilatores, deficiente fonte communi, singulorum civium periclitari salutem.

§. XII.

**N**eque ferendi sunt cives illi, qui extrema urgente necessitate, Republica puta vel gravi bello implicata, vel alia quacunque calamitate pressa, adeo parci & proprio quaestui intenti deprehenduntur, ut in usum publicum parum

parum vel nihil conferre velint. Videntur sibi ejusmodi homines proprio emolumento prudenter consulere, sed pessime & fatue cum suam tum publicam salutem exitio & periculo exponunt maximo. De pecunia & sumptibus erogandis tamdiu altercantur, donec vel hostis superveniat, qui regionem totam depopulatur & omnia auert, vel calamitas in tantum excresecat, ut nullum fere remedium supersit, cui tamen principiis obstantes facile obviam ire & periculum avertere potuissent. Dantur certe civitates, quæ tristes & gemebundæ hoc ipsum malum ipso opere expertæ fuere, ubi exorto bello quidam cives vel oneri & tributis bellicis prorsus sese subduxere, vel illa prius non solverunt, quam hostis dudum in regiones Reipublicæ illius irruerat, terram longe lateque misere vastaverat, urbesque, munimenta & totas expugnaverat provincias.

§. XIII.

**I**n tempestivi privati commodi amatores, quos detestari debet omnis probus civis, sunt quoque illi, qui propter lucrum proprium, contu

consilia publica de commerciis prudenter exercendis & artibus manuariis excolendis aliaque id genus impediunt, parum perspicientes, hæc ipsa optimum esse fontem, unde & publicum direfcere & tota Respublica florentissima reddi possit. Existimant tales propriam se egregie promovere utilitatem, quam tamen imprudenter misere destruant. Corradant æs, divitias & opes cumulent, magnificas exstruant ædes, & sic porro, ceteris civibus ad paupertatem redactis; an illi ipsi soli ingruente in Rempublicam calamitate & tempestate aliqua, publico consulere valeant? An periculum avertere, & hosti imperii fines invadenti resistere, an suis sumptibus militem alere & domesticos lares ab insultibus aliorum defendere queant? Vix credo. Nescientes potius & Reipublicæ & sibi interitum accelerant, adeoque meritas suæ stultitiæ dant pœnas.

§. XIV.

**N**Eque de meliori nota sese commendant tabernarii quidam (Svethice *Kramare*) qui merces cujuscunque generis ex terris peregrinis  
 avide

avide conquirunt, & domesticos proventus atque  
 effectus rejiciunt, qui tamen sapissime extraneos  
 istos bonitate longe superant. Ostendunt facie  
 le ejusmodi homines se nullam omnino habere  
 curam nexus illius, qui inter privatam cujusq;  
 civis intercedit utilitatem & publicum commo-  
 dum; adeoq; nec genuini civis, nedum mercatoris  
 nomine, de quo tamen tantopere gloriari so-  
 lent, digni sunt. Is enim vere dicendus est  
 mercator, qui minus necessarias civibus mer-  
 ces ad externos defert, & non nisi illas res, qui-  
 bus caret patrium solum, aliunde infert, idq; non  
 pecunia peregrinis semper numerata, sed si fieri  
 unquam possit, facta commutatione illorum,  
 quibus patria abundat; quapropter etiam facul-  
 tates suas libenter confert ad manufacturas in-  
 stituendas & varias officinas erigendas, in qui-  
 bus non tantum illa conficiantur affatim, quæ  
 ab exteris magno ære antea emta sunt, sed &  
 ea, quæ desiderant peregrini, & propter  
 commutationem istam, de qua modo, ne-  
 cessaria videt. At Tabernarii isti sordido  
 quæstui inhiantes, tabernas (Kramboder-  
 ne

ne) mercibus extraneis implent atque onerant, idque eam ob causam, quod minori aliquantulum pretio has sibi comparare possunt, quam domesticas, imo, ut quod res est dicamus, ideo præsertim placent extranea, quia non numerata illico pecunia, vel aliarum rerum commutatione comparantur, sed ad tempus credita accipiuntur, adeoque qui illa vendunt, non ut veri mercatores sed alienarum mercium infestores sunt æstimandi. Lucrum ad externos, lucellum autem vel ejus particula ad hos eorum duntaxat negotium gerentes pervenit; pecunia hoc modo quotannis ad externos proficiscitur nunquam revertura, & sensim magis magisque domi nummaria supellex minuitur. Adeoque non potest non tandem vel illis vel nepotibus & posteris deficere, saltem pluribus deesse civibus, qui ea sublevare potuissent. Manufacturis & officinis in civitate forte erectis sic ruina paratur, quarum effectus divendi non possunt, & simul multis operariis alimentum subtrahitur: reditus publici ex multitudine civium alioquin proveniuri intercipiuntur, & alia damna innumera.

Rei.



Reipublicæ inferuntur. Frustra ejusmodi homines timent, ubi timendi nulla ratio est. Scilicet existimant lucrum suum diminui si merces domesticas venales exponant, cum tamen hæ ipsæ æquali, saltem justo & quanto illis opus foret ad honestam sustentationem, lucro divendi possent; si enim forte illis carius constarēt, majori etiam pretio utique has vendere liceret, præcipue cum præstantiores plerumque sint exteris: quo pacto simul & suæ & Reipublicæ saluti confulerent. Veneramur igitur, Celsissimorum Regni Ordinum sapientiam, qui saluberrima constitutione inveterato huic morbo medelam tandem afferre voluerunt. Faxit Deus, ne salubriter destinata, vel extraneæ vel indigenitales machinationes eludant!

§. XV.

**A**D harmoniam denique, quæ inter publicam & privatam salutem esse debet, parum attendunt illi, qui indigni munera & officia publica oblique satis ambiunt, quibusvis artibus & præposteris modis occupant ac misere tandem administrant. Qui temerarius ausus tanto magis

culpandus est, quia ipsi creatoris fini & voluntati repugnat. Hic enim a prima origine hominum felicitatem intendens, cuius mortaliū id ingenii & temperamenti addidit, cujus beneficio aliquo saltem modo communem, humani generis utilitatem & salutem promovere posset. Et quemadmodum in Republica quavis varia & diversa sunt obeunda munera, ita hominibus varia quoque tribuit ingenia, inclinationes & propensiones diversas, ut nunquam deessent, qui cum civitatis emolumento officio quovis fungerentur. Dum vero contra inclinationem & indolem suam affectant quidam munus, ad quod apti non sunt, merito censentur scopo Creatoris Optimi Maximi refragari, nec felicitatem civitatis ex intentione Divina, sed perniciem & exitium, quantum penes illos est, promovere. Profecto vix dici poterit quantum mali ex hoc ipso fonte in Republica existat. Sit ex. gr. ignarus aliquis & stupidus, qui munus capeffat, cujus administratione totius civitatis cardo vertitur: fac illum publicis sumtibus laute vivere, pecuniam cumu-

cumulare ingentem & sic porro: Fac simul ex incertitia illum ita se gerere & talia capere, consilia, quibus irriteretur hostis ad bellum toti Republicæ indicendum, in quo superior evadit, regionem devastat & cum aliis proprias ministri ipsius ædes, desolatur flammisque subicit, anne ille ipse pessime & suæ & civitatis saluti consuluit? Sunt quidem munera nonnulla, quorum administratio tantam combinationem cum salute publica habere non creditur, nunquam tamen facile videbis officium aliquod publicum ab inepto administrari sine aliquo saltem civitatis & salutis communis detrimento. Ex justitia in Republica male administrata, bella civilia sæpe oriri solent. Ubi juventutis publica educatio perversis & ineptis committitur doctoribus, barbaries introducitur noxia, supina ignorantia promovetur & vitia varia contrahuntur ac juventuri quasi instillantur, quæ deinceps in omnem statum dimanant. Et sic de ceteris in civitate muneribus pronuntiandum erit.

## §. XVI.

**M**editationes nostras qualescunque circa nobile

bile hocce argumentum ulterius deducere par quidem esset, sed tempore, quod aliis est negotiis destinatum, exclusi, heic pedem figere cogimur. Vovemus tantum, nexum hunc inter publicum & privatum commodum non solum sibi probe cognitum & perspectum habeat quivis civis, sed ipsa insuper praxi semper & ubique ad illum attendat. Quod si fiat non tantum multa evitari & prorsus tolli enormia scelera, sed totius civitatis statum & conditionem felicissimam reddi posse, persuasissimi sumus. Hujus etenim neglectum doctrinæ omnium fere dixerim in Republica malorum omnino esse matrem, causam & originem. Unde enim seditiones, unde turbæ, unde ministrorum avaritia, unde patriæ proditio, unde boni publici expilatio, nisi ex scaturigine hac & fonte impurissimo ebulliunt atque emanant? Unde dissensus inter caput & membra, inter Principem & cives, nisi ex separatione utilitatis publicæ & privatæ? & sic deinceps.

Faxit Deus Optimus Maximus, nunquam interrumpatur catena hæc tam arcte publica & privata

vata combinans in patria nostra carissima. Ad  
 sit benignissimus ille creator Augustissimo Regi,  
 Ordinibus & Senatui regni, conatibus eorum  
 ita benedicat, ut ea capiant consilia, quæ pu-  
 blicam totius civitatis, & privatam civium sin-  
 gulorum omni tempore promoveant salutem!

S. D. G.

**G**edöke Dich mein FREUND an wahren weis-  
 heits lehren /  
 So dient das Glück Dir / die Ehre ist Dir hold /  
 Astræa reichet Dir / das längst verdiente Gold /  
 Und führt dich bey der Hand zum tempel hoher Ehrens  
 Da spricht Dein schweiß und fleis: Er hat es wol ver-  
 dient  
 Das sein gelehrtes Haupt / mit Lorber Kränzen grünt.

Diese wenige zeilen schrieb seinen wehrtesten Hr.  
 Informatori, als derselbe von der Harmonia  
 inzer salutem publicam atqve privatam  
 rühmlichst disputirete, zu ehren

E. W. HISING.

Til Herr RESPONDENTEN

Då han berömligen disputerade om Szwereusstäm-  
melsen emellan den Allmänna och enskylda wälgängen.

Uyttra ämnet som min Bror  
Sig har utwakt at förklara  
Harmonien. som en Mor

Plår til Rikens wälgång wara  
Sidor at jag mig wägar stad /  
Wissa med en rad /  
Uppå detta blad /

Hwad mig gläder / hwad Ehr fiäder  
Har förtient för heders grad :

Som bewijat har med grund /  
Allmän sällhet indret warit

Efter hwilket hwarje stund  
Alla sambånd hafwa farit ;

Som affskildrat huru nått  
Hur på prächtigt sätt /  
Hur med fog och rätt /

Allmän heder enskylt leder  
Just til ährans lysra slätt.

Tu min Bror på wanligt sätt  
När om yttrar sunda tanckar /

Hur en Kong / som önskar rätt  
Allas wälgång fäster anckar /

Huru han platt låter sij

Enwäldes machten bli  
Egit sanctereri :

Hur han sretar och arbetar  
På Rikskroppens harmonie.

Skarpshyt tu och längre går /  
Blåttar mængens list och råncker /  
Som sit ämbet eij förstår ;  
Men desmehr ett Rike kräncker.  
Wisar hur en girug Bus  
Sätter sig på huk/  
Och blir miåltesiuk

Når som ömma plågor tömma  
Pungen öfwer wanligt bruk.

Hela wärcket slytar åth  
Medel omkten af all tresnad /  
För ett Rike som i ståat  
Önskar niuta gyllen lefnad /  
Och förtienar det beröm /  
Att eij tidens ström  
Uti glömskans dröm

Nånfin kastar eller kastar  
Eig / som derom warit öm.

Jag derföre lennar bort  
Med mitt loford tig beswåra ;  
Önskar blott at innan kort  
Himlen wille Tig beskåra /  
Dwad Ett hierta hållt begär /

Swad

Hvad som nödse här/  
Hvad Dig nyttigt är/  
Att Du hinnet och sidst vinner  
Lambfens segercrons stjär!

Uf des sörtroge Nån och Bröe  
Pet. Ringh.

Moribus lectissimis rerumque notitia conspicuo Au-  
ctori Dissertationis

Dno HENRICO BERGLING.

**M**ilnia, quæ Patriæ non simplex possit egestas,  
Conatu, factis, cuncti præstare tenentur.  
En! Tua pertendit pia mens & casta Minerva  
Publica privatis conjungere commoda rebus.  
Cur hæmeros oneri tanto submittis, Amice?  
Laudis amor Tibi verus adest, & pectoris æstus,  
Et stimulat mentem præstantior indolis ardor.  
Sic mediis vernat tua virtus ecce diebus  
Horrentis brumæ, fructum dat tempore verno.  
Quam dulces lætosque dies Tibi deferet æstas!  
Quæc lætare diu! sine præmia digna labore!

Ranca avena acciruit  
And. Lundmarck  
Smol.

Eidem.

**P**ublica quam firmo jungantur connexa nexu  
Cum propriis monstras, BERGLING, conamine docto.  
Gratulator inæ Tibi, vobisque ut dona reportes,  
Quæ Tibi tam gnavo multi meruere labores.  
Vive diu tandem felix ad Nestoris annos!

Gratulabundus apposuit  
Laurentius Dahlman  
Smolanam.